



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

CARDILLO DE VILLALPANDO GASPAR DE, *Quod non sit laicis calix permittendus. Oratio ad sacro sanctam Synodum Tridentinam*, Riva del Garda, Jacob Marcaria, 1562.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o op f 21

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/32>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. I.C. c. 50

C MIX 41



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

G
2 -op
f
29

BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO



ex libris



K 2401751

D 2401730

5tci

T 0-op f 21

Ms. T. c. c. 50

30

11 1

QVOD NON SIT LAICIS
Calix permittendus.

O R A T I O.

AD SACRO SANCTAM
Synodum Tridentinam.

A V T O R E,


GASPARO CARDILLO VILLAL-
pandeo Segobienfi, doctore
Theologo.

I E S V S E S T S P E S M E A
*Si quid mirabere, pones inuitus.
Reddituro, satis.*



M. D. LXII.





O R A T I O.



SCIO Ego Illustrissimi & Reuerendissimi legati, Sanctissimi que Patres, neque culpa, neque reprehensione Vacare eum interdum solere: qui minime illud requirentibus consilium præbet, tum maxime cum hii, quibus consultum Volumus, præstantissimarum artium notitia, pietate, consilio, Et multarum rerum usu clari sunt; qualem unumquemque Vestrum esse, omnes plane, & agnoscunt, & fatentur libenter. Nam etsi non sus: Minerbam, (ut est improverbio) inepte (ut ille ait) quisquis Minerbam docet. Vestra tamen humanitas, atque animi candor, quæ multis faciunt animum ad dicendum: deinde studium Vestrum, & accurata diligentia, ad exquirendam aliorum sententiam, cumque Vestram conferatis: ut ea ratione quod optimum est, Et Ecclesiæ Christi conuenientissimum, intelligere, atque amplecti possitis: præterea Christiani hominis, Sacerdotis, atque Theologi officium, a quo me non omnino abhorreere apperte confiteor: demum persona illa, quam in hac Sancta Synodo substineo dum Vicariam operam nauo amplissimo episcopo Abulensi; hortantur me: ut, quod de quæstione propofita sentio, exponam Vrebitur, atque illud uobis Sanctissimi patres renuntiem. quod dum efficitur, non tam uobis consilium damus, cuius admodum estis locupletes, quam ut memoriam Vestram reficemus, negotiis aliis, curisque impeditam, grauemque. tamen enim nos, ingenio, iudicio, litteris, atque in summa, prudentia parum Valeamus: audemus tamen, diuina Christi Iesu, (cuius negotium agimus) ope freti, candide, atque ingenue animi nostri sensu depromere, atque exprimere dicendo, non ignari sæpe numero, Ita euenire, ut uel holitor fatis loquatur opportuna.

Hoc onere quod subimus modo, facile quidem leuaremur, si, cum est de usu eucharistiæ publicæ, in conspectu Vestro, & theologis disputatum, orationem, more cæterorum, habere potuissimus, sed quando aduentus nostri ex hispaneis in hanc ciuitatem tarditas, dicendi nobis opportunitatem arripuit, ne feratis, obsecro uos, iniquo animo Patres, eius hominis scriptam sententiam diligenter inspicere, quem Vestra consuetudine, intentis animis coram, disferentem de hac ipsa quæstione, simul cum cæteris, si intempore Tridenti ad fuisset, eratis audituri: neque enim tam nullius præti, neque tam omnibus

obuia, atque exposita ea questio est, quam uestris ingeniis in praesentia exercetis, ut pænitere uos unquam iure possit, impensse illis legendis operæ quæ de eadem domi Theologi meditantur: officio pietatis impulsis, & charitatis studio ducti, primum quidem erga sanctissimum istum, atque numeris omnibus obolutum ordinem uestrum: deinde erga Ecclesiam Romanam, Charissimam Christi sponfam: quam cum cernamus, neque sine summa acerbitate, atque animi dolore, indignis, & miseris modis, ab impiis hæreticis dilacerari, atque discerpi: qua parte possimus, debemus eidem opitulari. quis est enim tam temere audax, usque adeo consilii, atque rationis inops, Qui non uideat, magnum aduersus Christianam religionem momentum, in ea res, situm esse, si contra quam par sit & ratio postulat, Germanis, aliis ue priuatis quibusdam nationibus, uestris decretis (hoc est Ecclesiæ uniuersalis iudicio) liberam facultatem faciatis, bibendi calicem, quem antiquitatis consensu, grauibus, & doctis rationibus, lata lege, laicis olim, & sacerdotibus, qui eucharistiam non conficiunt ademeratis.

Prius igitur quam de hac re quidpiam statuatis P. diligenter eandem, quemadmodum cæpistis, quæso, animaduertite: ne, si negotio confecto, aliter quam uelitis, res accidat, (quod auertat deus) særa sit pænitentia: magno etenim opere occurrendum est uobis P. illi morbo, qui si semel contractus sit, aut curari difficile possit, aut facile in alios contagione scuire ne uos tamen ultraquam satis est, oratione mea suspensos tenens, in publica commoda, quibus procurandis occupati estis, peccare uidear, quanta maxima possim urebitate, de re propofita sententiam dicam, atque ita dicam P. ut illam iudicio uestro perinde atque me, subiectam esse libentissime feram, & studeam. Questio illa quæ perplexos, atque ancipites animi multas tenet euentus expectatione, sit ne laicis, & sacerdotibus non facientibus sacra, calix porrigendus, cum proximis superioribus diebus (quod uos probe nostis) feruentiori quorundam studio agitari cæpta sit, admirabili quadam prouidentia, aut diuino potius consilio, omnium ferme calculis missa facta est, atque incommodius (ut dicabatis) tempus reiecta: hanc eandem questionem P. in medio cursa aliarum grauisimarum rerum hoc temporis articulo, sunt, qui reuocent, atq; urgeant, tam magnis conatibus, tamquam impotentibus animis, ut suspicari liceat non tam, eos sollicitos esse, ne, uos quidpiam contra dignitatem uestram, atque autoritatem sacro sancti Oecumenici Concilii admitatis, quam, ut ipsi festinatione suscepta, uoti compotes euadant, quod si nullum aliud no

bis argumentum superesset (quæ multa quidem & potentissima sunt)
ad persuadendum de huiusmodi quæstione, amplius tractandum non
esse, neque mouendam rursus hanc camerinam, illud unum magnum
abunde fidem facere possit, quod eam, non suo tempore, uestris suffra-
giis definiri huius negotii architecti, atque patrii postulant, neque
enim uos latet, in quauis quæstione adquam definiendam consilio opus
est, magni in utramque partem temporis rationem momenti esse, nunc
uero qui intempestiue, hoc est, alieno tempore, atque una cum aliis gra-
uissimis, & præstantissimis questionibus controuersiam hanc poscunt
a uobis dirimi, deliberandi ansam infringunt, & libere cogitandi, facul-
tatem eripiunt, neque enim tam exiguo tempore, & tot, ac tantis ne-
gociis impedimento ingenii lumen, atque animi uis qua plurimum ad diffi-
ciliam controuersiam dirimendam, indigemus, exercere se ulla ratio-
ne potest: neque Illustræ aliquod ueritatis uestigium apparere, quam
summi philosophi improfundo demersam esse, inscriptis suis nobis reli-
querunt. fit enim ita postulante natura, quæ nobis animum admodum
angustum fecit, ut, dum multa minamur, feriamus recte nihil, atque agi
tantibus multa, procedat parum, huc accedit, quod rerum usque adeo
diuersarum confusio, atque ordinis, ex quo cuncta bene procedunt,
perturbatio, cum non aliunde, quam ab omnium malorum artifice, at-
que fatore diabolo, qui rerum, quæ a nobis ordine, & ratione gerun-
tur, capitalis imprimis hostis est, ortum habeat, quo pacto boni cuius-
piam causa esse possit, non satis intelligo. timeo enim grauius P. ne,
dum parum opportuna quæstionem minime necessariam discutere in
animum inducitis, non modo cætera negocia deferatis, de quibus his
diebus agere cæpistis, & quibus expediendis dixistis diem, sed (quod
ego non sine lacrimis meminisse possum) re infecta, sanctissimi isti
Ecclesiæ conuentus dissoluantur: nam qui usque adeo enixe, & quo-
dammodo contentiose dant operam, ut calicem Germanis, atque
aliis quibusdam nationibus, minime illum fortasse poscentibus, porriga-
tis, ubi quod tantopere laborant, se minime consequutos uide-
rint (quod ego uehementer cupio, & futurum spero) præ ani-
morum impotentia, quam deiectione abspe, inducere, atque gerere
solemus, in illud unum totis (quod aiunt) neruis intendunt, ne san-
cto sancta comitia uestra uniuersi orbis Christiani ardentibus desi-
deriis, crebris suspiriis, maximisque uestris laboribus, atque sumpti-
bus coacta, longius procedant: quod si fiat, non fiet sane, sine sumo de
decore, atque ignominia uestra P. neque sine Reip. Christianæ detrimen-
to, quæ in hac sancta synodo uniuersam ferme spem suæ salutis colloca-
uit. sed tu summe deus singularis, atque unice Christiani coetus pa-

stione, teterrimam istam pestem terris auerte, non obscura, neque igno-
ta uobis P. narro, uos huius sententiæ meæ testes appello, qui pro-
priis illam uocem auribus, in publica contione hauistis: nisi hanc
rem procurantibus mos geratur, non poterit fortasse concilium ha-
bere sælicem exitum, quorsum Vero hæc infausta, særalisque uox
pertineat, scitis P. Et quid portendat scitis, cæterum cum uobis hæc
ia re, perinde atque incæteris omnibus, quæ ad suscipiendam, tuen-
damque religionem spectant, parere principes debeant, Reges,
atque Imperatores: cum uos ipsi reliquis omnibus leges perscribere,
atque iura dare debeatis, non accipere ab aliis: cum minime occasio-
nes temporum ignoretis, gerendis rebus Ecclesiæ pro dignitate ac-
commodatas, conuenientesque, summite, obsecro, atque obtestor
uos per deum immortalem P. consilii capiendi, deliberandique de
re usque adeo graui tempus idoneum: Et quando impræsentiam,
multarum aliarum numero rerum, pondereque satis oppressi estis,
futuram aliquando opportunitatem expectate: quod superioribus
proximis diebus prudenter admodum facere cæperatis, suppetet illa
uobis, cum reliquis id genus curis, negociisque fueritis expediti.
Quod si uos susceptam iam, atque in consultationem adductam nup-
per, de hac re disputationem, nisi ea plane absoluta sit, intermittere
parum decorum putatis, excutite, si placet, iam uestris humeris mo-
lestum hoc iugum, atque uos suspendio isto tandem liberate: Ita ta-
men liberate patres, ne uitalem Christi sanguinem profundi quispiam
possit cum ratione putare, quod nullo negotio consequemini, si ne-
mini calicem alteri propinaueritis, nisi qui Concilii Const. Et Basilien.
decreto, quod uetus firmauit consuetudo, illum hæctenus biberunt,
tametsi enim uobis integrum sit, uetustam hanc consuetudinem de
medio tollere, & si uelitis, penitus abrogare, qui una cum Christi
sanguine, reliquorum etiam misteriorum ab eodem ministri, & dispen-
satores estis constituti, ita tamen altissimo Ecclesiæ misteria a Chri-
sto Iesu seruatore nostro edocti, iusque dispensare debetis, ut fideles
deceat dispensatores: tales autem nusquam eritis, nisi grauis imprimis
causa sit, quæ id facere iubeat, & quam interroganti intrepide, ac
sine rubore possitis reddere, ego uestro sic existimo Patres non solum,
nullam legitimam causam esse, sed neque fingi posse, cur de consensu
uestro calicem laici bibant; plurimas autem superesse, quibus, si rem
accurate, atque adamusim expendatis, facile doceri possitis, per sua
derique, antiquum ut morem christianæ Reipub. uestre retineatis,
neque pati ullo modo uelitis, ab eo quempiam discedere, latum una
quem, has impræsentia uobis commemorabo Patres ne si Rusticano

sint contenti, cui merito obtemperandum nobis est: quia nihil agit sine magna ratione nihil statuit, quod honestum non sit, nihil, quod bene institutis probari non debeat, decreuit unquam, neque in huiusmodi legibus ferendis errare potest. deinde si latam legem quam plurimis retro annis consuetudo iucundissimam effecerat, nulla evidenti necessitate conuallatis patres, suspicari multis in mentem ueniet, aut uos illam temere, nulloque consilio tulisse olim, suscepisseque; aut susceptam cum ratione, & seruata diutissime in Christiana Reipub. nulla, uel causa, uel ratione pro nihilo ducere, quo nihil fingi potest, grauitate uestra, aut huius amplissimi ordinis inuestate, magis indignum.

Generalis Accedit ad hoc, quod, ut nobis locupletissimi testes, atque omni
præpositus exceptione maiores retulerunt, qui plurimis Germanorum (cum in
Franciscæ Germania agerent) familiariter usi sunt, qui eo loci per omnia obe-
normæ & diunt Romanis Pontificibus non solum calicem uitæ non cupiunt, aut
societatis petero audent, sed, quod maxime mirandum est, constanter affirmant,
Iesu & Pe- nihil se tam indigne laturos esse, quam si contra seruatum diu in Repu-
trus sotto Christiana morem, Pontifex Maximus, uel sancta hæc Synodus de calice bibere sinat: ut suspitio sit, hunc ipsum, quem plerique tantope-
re iactant affectum, discessionis ab Ecclesia argumentum esse potius, quam eius charitatis, quam erga in effabile hoc eucharistiæ sacramentum gerere se, si mutant:

Hanc opinionem probabilem superioribus rationibus, longe probabiliorem facit, autoritas, & doctrinæ opinio confirmata longo usu rerum, quorundam Episcoporum Germanorum, qui de hac ipsa questione in publica contione uestra illam sententiam dixerant, nihil minus expeditur quam ut, Germanis, hominibus, nationis suæ, negatus haereticus calix permittatur, cum enim prudenter admodum (ut par est) in eorum mores inquisierint, ingenia probe norint, rationem uitæ diligenter inspexerint, conatus denique omnes ad unguem sint prescrutati, nisi ratio aliud, & pietatis officium posceret, non difficile horum episcoporum animos, atque studia patriæ charitas incendere inflammareque potuisset, ut suis hac parte hominibus consulerent, quod si negatus laicis calix compendium aliquod rei familiaris, honorisue, Pontifici Max. Ecclesiæ præsulibus, aut denique ullis sacerdotibus, adferre posset, haberent fortasse, qui Ecclesiam Christi hoc nomine reprehendant, occasionem aliquam existimandi, maligne a nobis, & questus propii spe calicem surreptum laicis fuisse: modo, cum nihil simile dicere, aut putare queant, ob eam rem maxime quod eundem neque sacerdotibus permittamus, nisi cum Christi munere impostrema cæna fungentes, deo Opt. Max. in missa exhibent sacrificium:

ad

hil agit
quod be
uifmodi
plurimis
uti nece
ut uos il
ceptam
illa, uel
t, graui
gnum.
que omni
(cum in
nnia obe
iunt, aut
affirmant,
in Repu.
uodius de
tantope
te potius,
acramen
ge proba
go ufu re
ofa queftio
minus ex
gatus ha
ut par est
nem uitz
m funt pra
fficile ho
incendere
rent, quod
nonorise,
dotibus, ad
nomine re
nobis, &
cum nihil
od eundem
impetre
acrificium:
ad

ad cuius naturam atque substantiam illud pertinet necessario, ut Christi sub utraque specie offerant, atque sumant, dubium sane non est, quin huiusmodi calicis amatores, uitio potius, quam iusta ulla, honestaque occasione hoc titulo Ecclesiam Christi traducant, atque sugillant. An non illud uidistis P. si Germanis, aut priuatis aliis nationibus calicem concedatis, esse continuo eundem Italis, Hispanis, atque uniuersis, piis omnibus bonis porrigendum? quos consentaneum est, pariter, aut maiori potius cum Germanis studio, & pietatis affectu sanctissimum Eucharistiae sacramentum colere, uenerari que? quis enim sibi possit persuadere, si uos calicem uni, aut alteri prouintiae permittatis, non protinus eundem ceteras omnes summa cum ratione petiuras daturusque uos illis? nisi schisma uelitis in uestra Ecclesia excitari, atque scissuram fieri in Christi corpore, rem sane perniciosam, exitialemque, quod si iniquum existimatis Hispanis calicem propinare, Ita hisque parum de hac re sollicitis hoc tempore, quorsum illum bibendum reliquis nationibus offeretis? neque modo si his hominibus calicem porrigatis, ea incommodo consequentur, quae numerata sunt a me, sed alia insuper longe grauiora pergent enim iisdem, credite mihi eadem arte, urgebuntque uos, alius, ut in rebus ipsorum similiter uoluntati morem geratis. quod uestro in conspectu, habita publice oratione, quidam istorum patiori Zelo permoti (ut puto) significauerunt, nam praeter calicem quem deberi sibi horum plerique diuino iure existimant, a qua opinione non facile abduci posse, plane testantur, sacerdotium maritis petunt, & concionandi facultatem efflagitant, illis uiris, qui nullis sacris ordinibus sunt initiati: contra Christianam Oeconomiam, contra morem Ecclesiae uestrae, contra summorum Pontificum decreta, contra sanctissimas leges in conciliis generalibus latas, denique contra ius omne, atque fas: haec enim non tam arcto legum Christianarum uinculo constare credunt, & pari ratione necessaria arbitratur, clamantque, ut suos in officio retinere queant, neque facile res novas moliantur, atque ad defectionem aspirent, Ita fiet, ut laxatis semel, solutisque institutis, legibusque Christianis, magna, ad contemptum coeterorum omnium fenestra pateat, & uniuersa disciplina Christiana sensim remittat uires, atque labascet, praecelare mea sententia, Aristot. diligentissime cauendam esse praecipit omnem mutationem legum, ne, ut ait, Reipub. disciplina corruat labefactata, atque homines assuecant legibus non obedire. ferendum autem uobis Patres non est, ulla ratione huius legis obseruatione, quam uel eo solum nomine quod a uobis condita

In oratione
Oratoris
Bauariae
Ducis.

Robertus
Pontanus
libro 4.
rerum me-
morabili-
um;

Reueren-
dis. Cardis-
nalis VVar-
miensis de
communica-
ne sub utra-
que specie
& contra
Brentium.

fit, omnes saluberrimam putare debent, & Reipub: uestræ necessa-
riam, Christianos homines ab hæreticis superari, qui more suo,
diuina omnia atque humana iura peruertunt, atque scimus ex histo-
riis, Anglos, hæreticam gentem, cum primum ab Ecclesia discesse-
runt, passos non fuisse, ut populus more sacerdotum, Eucharistiam
sub utraque specie sumerent, quinimo noua lege lata, antiquari de
hac re priscam Ecclesiæ legem prohibuerunt. An uos unquam æquo
animo feretis P. turpem illam maculam atque notam sacrosancto Oe-
cumenico Concilio inuri, quod contra morem uetustæ in Ecclesiæ di-
scipline, contra sanctorum patrum exempla; contra Synodorum in-
stitutionem, abrogatione saluberrimæ legis iudicio Ecclesiæ condite,
& magno antiquitatis consensu comprobata; uelitis hæreticos homi-
nes ab errore reuocare, quæ non deserent, credite mihi, plurima licet
alia concedatis, eisdem; aut retinerè in eadem disciplina ortho-
doxos; qui diligentissimi legum uestrarum, & morum Ecclesiæ cu-
stodes esse debent, sine murmuratione & qui dum Ecclesiæ statutus
non plane acquiescunt manifestæ defectionis a uobis iudicium præ-
bent; minime sane puto: neque id usque Christus pati poterit, qui ma-
trimonio sibi iungit Ecclesiam, pulchram, immaculatamque: addo
præterea, si calicem his hominibus, qui se fideles profitentur porri-
gatis, tantum abesse, a iudicio meo, ut eisdem arctius in officio re-
ligionis imposterum possitis continere; ut liceat potius existimare
hac una re, ueluti initio sumpto, eisdem occasionem reperisse, ab
Ecclesia catholica discendi. quod uni quidam uestri ordinis pietate,
atque litteris insignis, in scriptis suis admodum prudenter ani-
maduertit, quorsum enim tanta contentione calicem a uobis exi-
gant, quem uos illis simul cum sanctissimo Christi corpore sub spe-
cie panis porrigitis, causam nullam uideo, nisi, ut separationis ansam
habeant: decreta uestra contemnant; concilis repugnant; atque
Ecclesiam Christi descant non audire. Hactenus quidem sanctissimi
P. usurpatus a quibusdam, aut potius contra Ecclesiæ Romanæ le-
gem, per uiam raptus calix, illud commodi afferebat iudicio eorum
qui uixerunt in Germania diu, quod hac ueluti nota, atque iudicio
non obscuro, homines orthodoxi ab hæreticis discreti, sibi admo-
dum diligenter cauebant, ne, quid in fide detrimenti paterentur,
nunc uero si calicem laicis permittatis, non solum hunc aditum ad
iudicium de religione faciendum, plurimum necessarium, præclu-
detis, sed quod grauissime ferendum est, hinc facile impij, & no-
uatores occasionem arripiant, qua animati, cæteros omnes præ-

his opinionibus corrumpant, atque peruertant, cum enim tam familiariter in posterum cum catholicis hominibus agere debeant, & usque adeo cum illis arcto uinculo copulari, ut in eadem sacratissima mensa, de manu eiusdem patris familias, eundem panem sacratissimum, & calicem quoque eundem, hoc est corpus & sanguinem Christi, sint sumpturi: nemini dubium est, quin callidissimi hæretici qui omnibus artibus, atque modis, fidei, Religioni, & pietati, insidias parant, summa ope laboraturi sint, ut eos homines, cum quibus uersantur, socios sceleris, atque flagitii effectos, in errorem suum pertrahant, atque hoc sane detrimentum non huius modo, qui instabiles sunt atque in fide parum firmi, serent proculdubio, sed horum præterea exemplo cæteri prouocati, qui religione adducti neque extremis labiis calicem attingunt, in absurdissimas hæreticorum sententias sensim præcipientes abibunt. ita fiet, ut hac ipsa indulgentia uestra P. quæ uel hoc solum nomine in elementa putari potest, hæretici intelligant, commoditatem se reperisse, nocendi Reipub. Vestræ, minori negotio suo.

Quod si hoc incommodum minime timeremus, quod certo scimus proforibus instare, ac sese sponte ingerit, quis est obsecro, usque adeo plumbeus, aut mente captus, qui non uideat, si semel qui spiritum calicem autoritate uestra, atque consilio bibat, hæreticos omnes, neque sacramentarios modo, sed cuiusuis etiam ordinis, atque instituti, protinus stentore a uoce clamatuos, facile ut ab omnibus percipi possint, atque etiam libris æditis, (quod faciunt non grauate) uictoriam stare pro se, papistas (ut illi locuntur) uictos, atque prostatos iacere, quod qui olim calicem laicis subriperatis inuidia potius quam ratione, euangelicorum, argumentis superati propriis eundem dominis restituitis. tunc uero cum nullum iam suppetat remedium, nisi uobis diligenter caueatis, apperte intelligetis, Religionis dissidium, misterio sathanæ apud quosdam excitatum, minime componi, aut sedari posse, si calix laicis permittatur, quod urgent huius sententia pationi, defensoresque: etenim hoc (magnorum uirorum opinione) alere potius est, quam sedare dissidium, nam qui se ab Ecclesia fegregauerunt, illud unum ardentibus uotis expetunt, ut uel una aliqua in re ab uniuersa Ecclesia Romana discedere sibi integrum fiat, quo fundamento discessionis iactato quo non eos progressuros putemus, imprimis, erroris arguent totam Ecclesiam, quod sine causa, his, qui sumunt eucharistiam extra sacrificium, calicem abstulerit: ex eodem deinde principio colligent, liberum esse sibi,

a cæteris Ecclesiæ præceptis dissentire, atque incontrariam se uelint, abire sententiam; atque id facile rudibus hominibus persuadere poterunt, nihil enim impedit (dicent) quominus, id, aliis quoque in rebus liceat sibi, perinde atque in hac, ita fiet proculdubio, ut nihil sit fide materia incertius, nihil nostris legibus mutabilius, nihil denique statu Ecclesiæ perturbatius, & id maxime culpa nostra. Sunt qui magno pretere mirentur, atque alios subinde rogent, quid potissimum causæ sit, cur huiusmodi nationes, quæ calicis studio teneri se dicunt, eundem a uobis tanta animi contentione requirant, & tam studiose, ac sollicitè ambiant, atque procurent, neque pontificem adire uelint, eundemque præcibus sollicitare, cum perinde atque uobis Patres facultas inest, calicis usum laicis permittendi, cum res postulare uideatur, bona tamen eorum hominum partem, qui rem istam accute admodum, ut apparet, perspexerunt, quod fuerint eandem propius contemplati, dicere uideo, illud unum in causa esse, putat, quod horum plerique, quibus petitur calix, pontificibus hac in re, fuerint mentiti, non semel, fidemque illis datam fregerint, plurimum igitur uerentur, ne iam uera etiam dicentibus non credatur: atque ita conatus caddat irritus; altera pars, quam uere, nescio: eo consilio factum existimat, quod huiusmodi homines, non tanti faciant Pontificem Maximum, & uicarium Christi, quanti debent, ego uero strenuam istam diligentiam sic interpretari soleo, atque utinam dum ita diuino, uerus uates non sim, ab his hominibus id curari maxime, ut semel ab eo, calicem ferant, qui eundem non facile possit adimere: si calicem Pontifex porrexerit, cum primum eodem intemperantior laici sint abusi, aut impositas condiciones prætergressi, nullus sane labor erit mutare factum; at uero si ducenti Sanctissimi Patres doctissimique, si sacro sancta Synodus in spiritu sancto Tridenti legitime congregata, aut potius uniuersa Ecclesia Christi, quam Concilium Oecumenicum representat; calicem propinet, ubi scelerati homines, transfuge, atque fidei desertores, condiciones contempserint, ac pro nihilo duxerint, quod remedium capietis P. aduersus sanctissimi foederis, atque paci transfessores, ut illatam Christo iniuriam ulciscamini. uocantur fortasse præfules statim, deferent Episcopi ecclesias suas, & mari, terraque iterum pericula subibunt, atque ita concilium rursus magnis sumptibus instaurabitur, ut qui laicis copiam calicis feceratis sublatam eundem imposterum custodiatis diligentius quando igitur proprio P. periculo comperistis, quantæ molis sit, comitia ista, & conuentus Ecclesiæ cogere, cauete per deum immortalẽ diligent-

tissime, nedum in alios, quam par sit, benigniores, atque indulgentiores esse uultis, in uos ipsos, in leges, atque statuta uestra, in Christianam Rempub. in sanguinem, quo redempti sumus, in ipsum deniq; Christum Iesum sacri, atque crudeles sitis: dum in eas angustias uos conicitis, unde non facile eripi possitis.

His, atque id genus aliis rationibus, quas urebitatis studio prætermitto, qui sit bene moratus atque animo, & uita constitutus, ut ratio postulat, facile sibi possit persuadere, non esse his hominibus calicem permittendum, qui uere Christiani sint, quæcunque uideatur refluxe respes, eosdem in officio retinendi, aut errantes a uia, reuocandi ad Ecclesiam, cum ea (ut apparet) nullo firmo, atque stabili fundamento nixa sit, restat ut eundem hæreticis permittamus, atque his (si placeat) inuitis, & repugnantibus; nam neque petent illi usque ab Ecclesia, quo se, eadem reluctante, usque ad ambas aures immerfi, hætenus ingurgitauerunt, neque si ea sponte offerat sua, de manu uestra uolent bibere, audite, quamdiu hanc sententiam, præceptum hæreticorum instillarit animis, atq; scriptum reliquerit, ipsorum Coriipheos, atque ante signanus Martinus Lutherus. Si concilium statueret, ut calix permitteretur, ob hanc solam causam, quod ita concilium statuit, nolo, ut eodem utamini, sed in despectum concilii, aut una, aut neutra, nequaquam uero utraque specie potiamini: addit, se habiturum anathema, quicumque autoritate talis concilii utraque potiat, in hac uero sententia persuadenda necessarium sane non est; ut multum opere, atque industriæ ponamus, quod ea ipsa prima, statim fronte uenenum nocentissimum ostendet, ut enim taceam hanc uestram indulgentiam Patres si eadem uelitis uti, ad dissidium de religione componendum nullius momenti fere, quod Orator Bauariæ his uerbis ait, dubium non est, etiam si hæc tria (significat autem calicem laicorum, maritorum sacerdotium, turpemque uitam Clericorum) ex quadam catholice matris Ecclesie indulgentia, præsentis concilii autoritate rite ordinarentur, sectarios duces, & populos seductos, ad Ecclesiam non esse reuersuros, cum palam editis libris non dubitent affirmare sese, nunquam se summis Pont. obedientiam præstare uelle: Cuius inditium est, nullum sui ordinis, atque status urum missum ab eis Tridentum missum fuisse, qui more ueterum hæreticorum, ipsorum nomina supplex a uobis postularer, ut condonatis erroribus admissis calicem illis relinquatis. ut in super taceam relicto calice, aduersus Ecclesiam insolentiores efficiendos, quasi de eadem uictoriam reportauerint, & magnifica spolia tulerint, quid aliud est, obsecro, calicem

hæreticis permittere Christi corpus, atque sanguinem continentem; quam margaritas ante porcos proiici, sanctum dari canibus, Christi que sanguinem pedibus hostium Ecclesie conculcandum præberi; quod sæuerissime prohibemur, reuocate in memoriam uestram, obsecro uos, Paulum III. Pont. Max. paterna Charitate per motum calicem Germanis, qui eius cupiditate capti, aiebant, se, uniuersos cum calice errores deserturos, honestis quibusdam, & necessariis conditionibus adiunctis olim permisisse; neque id semel remedium tentatum est, sed perfidi, & ueteratores calcatis conditionibus, contempta fide data hominibus, atque deo, indespectum Pontificis summi, & totius Ecclesie Christi, eodem calice temere abusi sunt, ut intelligatis P. impositas conditiones parum esse pro futuras: calicem ille iactabant conditiones uero suppremant omnino. caute ne tertio cum dedecore pacta insecta rescindatis, & quando alienum facile suppetit, ne uelitis, obsecro uos, per uiscera Iesu Christi proprio periculo sapere.

Perpendite igitur quid agatis, in quas temporum angustias coniecti sitis, quid postulet loci dignitas, in quo diuino beneficio estis collocati, quid his artibus agat sathanas, quid etiam decal disimis, atque uafriis hæreticis, sperari possit, neque uos cuiuspiam autoritate, & maiestate nominis opprimi finatis, quominus Ecclesie Christi, cui fidem dedistis olim, ut facitis diligentissime, consulatis, nam neque Imperator Ferdinandus, qui longis exprimentis fidei, quam Christo debet, magnifica testimonia orbi terrarum exhibuit, neque rursus Illustrissimus eius Gener. Bauriæ Dux, uobis Ecclesie principibus imperare uolunt, neque hac in re quid agere debeatis ulla ratione præscribere, quod in orationibus suis plane docent: morbum tantum (ut aiunt) apperiant, atque a uobis, tanquam a peritis medicis, efficacem requirunt, atque sperant medicinam, uidete tamen, ne, dum corpus sanare uultis, grauis fiat animorum iactura.

Quod si & locero, & Genero spectate Religionis, & pietatis uiris, grauitati insuper uia, atque huius ordinis amplitudini, satisfacere uelitis, deligite ex uobis probatos uiros, qui, ut rem omnem adamussim intelligere possint, Germaniam, Bohemiam, atque Vngariam contendant, qui eorum Regnorum Principes uiros adeant, præfules consulant, Rogent plebem, istos etiam ministros sathanæ excutiant prius, atque ex eis certo scire laborent, uestris ne decretis stare uelint, si calicem permittatis; si annuant, resperagetur optima conditio-

nibus, sine graui, metu discessionis, obstrictis ante, & confirma-
tis iuramento disidii principibus, si abnuant, nemo uos cum ra-
tione possit, reprehendere, nisi quod unus, aut alter calicem pe-
tat, in cuius potestate situm fortasse non est, etiam si uelit maxi-
me, ceteros omnes in antiqua religione continere, nedum asuce-
pto iam errore eosdem reuocare, protinus uos contra leges ue-
stras, contra consuetudinem iure susceptam, illum, cuius, li-
beram sumendi copiam faciatis, timor est profecto timor, ne, pro
benignitate, seuitiam; pro pace bellum, pro concordia, tumul-
tum, pro unitate animorum, nouum aliquod in Ecclesia uestra
schisma, sententiatis, neque modo herbam porrexisset uestris ho-
stibus ea ratione uideamini, sed arma quoque sub ministrasse, qui-
bus in uiscera Reipub. uestrae crudelissime adactis, leges illi atque
statuta uestra confodiant, contra uero si feceritis, P. ego non du-
bito quum Christus Iesus uiam, atque rationem, uobis sit monstras-
turus, qua Ecclesiae (quam unice diligit) praesentaneam opem fera-
tis dixi.

F I N I S.

18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
0
op. f
21

Wisc. T. c. c. 50

200

41 - 1

QVOD NON SIT LAICIS
Calix permittendus.

O R A T I O.

AD SACRO SANCTAM

LAL-



xrite

colorchecker



MSCCPPCC0613



mm

MSCCPPCC0613